



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,  
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

**Fumo, Bartolomeo**

**Antverpiae, 1570**

Execvtor.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30427**

quæ quæ tales errores in suis sermonibus, verbis, seu prædicationibus disseminantibus, per centuram ecclesiasticam appellatione postposita super huiusmodi, ac qualibet alia hæresi silentium imponatis, & postquæ per vos, vel vicarios vestros, aut vestrum, vel eorundem vicariorum aliquos, siue aliquem præfidentes monasteriorum, cõuentuum, & aliorum locorum, vbi hæresis huiusmodi, vel errores disseminati forent, aut inibi propinquorum præmoniti fuerint, nisi tales infra mensem à die admonitionis computandum, debita prouisione remedia cum effectu adhibuerint, ac digna penitentia castigauerint, de quibus admonenti fidem facere teneantur. Aliter contra prædictos vsque ad sententiam diffinitiuam valent procedere. Hæc est materia excommunicationum. Credo tamen multas alias esse excommunicationes particulares in privilegijs studiorum, religiosorum, collegiorum, ciuitatum, & aliorum locorum, quas omnes inuenire esset impossibile. Prædens ergo confessor, quædo de nouo venit in vnam dioccesim, infortmet se an ibi sint aliquæ excommunicationes, siue Papales, siue synodales, quæ sint in vsu, & sic obseruet. Et quia multiplices sunt, & variæ difficultate est singulas memoriæ mandare, ideo prudens confessor cum circa eas dubitat, videat bene canones, & illos diligenter examinet, & si per seipsum intelligere nequeat, peritos quærat, ne penitentiam absolueno à quibus non potest. in præceptis mittat: quem si censura ligatum inuenierit, si potest, ab ea prius absoluat, si non potest ad superiore cõfessum mittat: quia sic ligatus à peccatis nequit absolui.

## EXCVSATIO.

**EXCVSATIO** peccati est maximum vitium: secundum Thom. secunda secunda. q. 13. a. 3. ad 3. quia est circumstantia quædam aggravans omne peccatum, etiam blasphemiam Dei, quæ est maximum peccatum. Diciturque maximum: quia quodlibet maius facit.

**2 NVLLVS** sequens hæresim excusatur: quia in dubijs, & periculosis nemo debet esse facilis ad credendum, & præcipue perunax: secundum Thom. in quoli. tertio quæstion. 4. artic. 2. quæ pertinacia maxime hæreticum constituit cum errore intellectus.

**3 OBLIVIO** beneficij ex negligentia, vel impotentia recompensandi beneficium, non excusant à peccato ingratitude, secundum Tho. secunda secunda. q. 107. ar. 1. ad 1.

**4 QUI** nihil audiuit de fide, excusatur a peccato infidelitatis, non autem ab alijs peccatis. Invidens autem bonum per se, excusatur à malo, quod sequitur præter intentionem, & raro, non autem quando semper, vel vt in pluribus, & sic Noë excusatur ab ebrietate, & c. Thom. 4. sentent. di. 13. in expositione intera. & in capitu. inebriauerunt 19. q. 2. Excusatur etiam coactio absoluta, capiti. non est. 15. p. 1. Necessitas etiam in capitu. discipulos de consecrat. dist. 5. Pietas quoque. ca. conquestus. de feri. & obedientia. ca. dixit dominus. 14. quæst. 5. Non excusatur quis ab obedientia, allegans alios meliores se ad hoc esse. 13. q. 1. c. final.

**5 TIMOR** qui est secundum rationem excusatur totaliter à peccato, nõ autem inordinatus, sed dimittit in quædam est inuoluntarius. Thomas secunda secunda. q. 12. ar. vltim. Thamar, & Tudas fornicans cum ea, à peccato non excusantur, secundum Tho. secunda secunda. quæstio. 154. arg. 2. ad 3.

## EXECVTOR.

**EXECVTOR** est proprie, qui ad effectum rem indicatam deducit: secundum gloss. in capit. super quæstionum. de offic. deleg. vel qui factum ab alio gestum exequitur: secundum Panormi in ca. nouit. de appel. col. 1. Executor etiam larga acceptuone dicitur delegatus, secundum gloss. in ca. si super de offic. de leg. in 6.

**2 EXECVTORIS** testamentorum possunt esse laici, clerici, & religiosi,

12 non

non tamen ordinis minorum, secundum Pa. in c. tua nobis. de testa. primo notabili. & c. 2. d. Testa. in 6. Fratibus enim minoribus est interdictum hoc. in Cle. exiui. de ver. signifi. Et possunt diuisim, & mixtim deputari ca. Ioannes de testa. & etiam feminæ, si est consuetudo, secundum Ioan. Andr. in d. ca. 2. de testa. licet quidam teneant contrarium.

3 EXECUTOR EVNO mortuo vel absente, alius potest exequi, quando plures sunt, nisi testator aliter in testamento expresserit, etiam quod præsens esse alter, & nolle exequi. in d. ca. 2. de testa. & non est necesse alterum vocari, sicut in electione, secundum gl. ibidem intellige, quando multum distaret: secus quando parum. tunc enim vocari debet & expectari vsq; ad præfixum sibi terminum.

4 OFFICIUM executorum non transit ad hæredes, etiam re nõ integra, secundum glo. ibidem, in d. ca. 2. nisi testator hoc expresserit, licet quidam dicant quod transit. præcipue re non integra: vt in c. in causis. de elect. sed primum est verius. Si verò eligatur sine nominis expressiõne, & qui nõ sit propinquus, tunc successor in dignitate, succedit etiam in executione secundum glo. in d. c. 2. & ca. quoniam requisisti. de offic. delegat. secus quando est propinquus, vel nominatur proprio nomine: quia videtur electa persona, & non officium. in dict. cap. requisisti.

5 ELECTVS in executores non tenetur acceptare, secundum Pano. in c. Ioannes. de testa. etiam in legatis ad pias causas, nisi tacite, vel expresse acceptasset, siue faciendo aliquid quod ad hoc pertinet, siue recipiendo literas scienter, quibus officium sibi deferretur: tunc enim dicitur tacite acceptare. arg. l. 1. ff. de procura. Si præsens fuit quando testator ipsum ad hoc deputauit, & tacuit, non propter hoc dicitur acceptasse. l. Pomponius. ff. de arbit. Secus quando consensit, Episcopus in legatis ad pias causas potest ipsam compellere ad acceptatio-

nem saltem tãquam delegatum, sicut in qualibet alia delegatione. ca. pastoralis. de offic. delega. C. qui pro sua iurisdictione. l. vnica.

6 MERA vs executor non habet actionem contra hæredem, secundum Panormi. in d. ca. Ioannes. sed potest implorare auxilium iudicis contra detinentes defuncti bona. ar. in l. hæreditas. in fin. ff. de peti. hæred. nisi in legatis ad pias causas, secundum Barr. si quis Titio. ff. de leg. 2. Si verò non est purus executor, sed legatarius, vt in hoc exemplo, Titius relinquit Antonio centum aureos restituendos Socrati, tunc poterit agere contra detinentem bona tanquam legatarius. Idem cum est particeps ipsius relictæ, secundum glo. in l. Lucius. §. Mæuia. ff. ad Trebel.

7 SI executor sit vniuersalis, vt ad distribuendum omnia bona in Christi pauperes, potest vendere bona hereditaria pro executione vltimæ voluntatis, secundum Pan. in d. c. Ioannes. Secus si sit particularis, nisi testator sibi concesserit, secundum l. alio. ff. de ali. & ciba. leg. & sic hodie solet fieri, quia datur plena, & libera licentia executoribus vendendi de bonis hereditatis pro executione.

8 EXECUTOR debet seruire tempus ad exequendum quod testator sibi prouidit, secundum Pan. in cap. nos quidem. de testam. in gloss. in ver. annu. & sic dicit a die mortis, intelligitur & scientia, & aditæ hereditatis, vt probat tex. l. statu. liberos. §. si quis hæredi. ff. de statu. li. Si testator non prouidit de tempore, & res legata est in patrimonio testatoris, potest solui sine mora, secundum Panormi. in c. si hæredes. de testa. quia dominium ilico adita hereditate transit in legatarium, & si nõ soluat sine mora, hæres condemnatur ad præstandum vsuram, & omnem utilitatẽ, vt l. cum res. ff. de legat. 1. idẽ si esset pecunia legata. l. si dominus. §. in pecunia. ff. de leg. 1. conceditur autem spatium decem dierum a præcepto iudicis. Vide ibi, & in l. si pecunia ff. de lega. 2.

9 Si executor negligat exequi, an deuoluatur ad Episcopum? Dico quod hodie episcopus per statuta disposuit, vt annus à die mortis admonendo generatim quoscunque: & si sic, post annum deuoluatur, intelligendo à die mortis, & scientiæ & aditæ hereditatis, vt suprâ. Rich. in 4. sent. dist. 45. limitat, si habet in pròptu bona, de quibus possit infra annu legata soluere: aliàs secus.

10 TITIVS reliquit decem aureos dando pauperibus, quos nominabit Sempronius, transacto anno non nominatis dictis pauperibus per Sempronium, non propter hoc potestas nominandi dictos pauperes ad Episcopum deuoluatur, quia qui habet declarare, non est executor, imò multum differt declarator ab executore, ideò qui non potest esse executor, potest esse declarator. l. executorem. C. de execu. rei iud. Prædicta deuolutio habet locum in legatis ad pias causas indubitatè: secundum Panormit. in c. si heredes. de test. in alijs autem est diuersitas doct. Vide ibi quomodo Panor. concordat. Tab. ver. executor. §. 10.

11 Si testator in testamento prohibeat ne episcopus se intromittat quo ad còpulsionem executoris, non valet talis prohibitio, secundum Panor. in c. tua nobis. de testam. quia sicut non poterat se subtrahere à foro Episcopi, sic nec executorem, vt patet in dicto cap. tua nobis. Si autem prohibeat quo ad deuolutionem, prouiso de alio executore, in casu quod primus negligat, valebit, quia ille exequetur, non Episcopus, secundum Panormitan. vbi suprâ. quod si non prouidit de alio executore, Episcopus in legatis ad pias causas exequetur, prohibitione non obstante, non in alijs. in d. c. tua nobis.

12 Si testator reliquit in testamento mille restituenda pro malè ablatis, & non inueniuntur tot creditores, qui totam istam summam absorbeant, & prohibuit illam summam in aliud còverti, tunc quod residuum remanet, da-

bitur heredi. Si aut non prohibuit, sed simpliciter disposuit, dabitur quod superest pauperibus, secundum Panor. in d. cap. tua nobis. credendum est ipsum tantum debere, quatum reliquit, licet non inueniatur creditores. Idem obseruandum est in cautione, quam faciunt vsurarij, vt not. in c. quamquã de vsur. lib. 6. secundum Panor. in d. c. tua nobis.

13 EXECUTOR, cui testator reliquit. ca. vt dispense quomodo sibi videbitur, & placuerit, tenetur illa dispensare pauperibus, nisi aliud appareat de mente testatoris. Facit cap. cum tibi. de testa. Sic enim arbitrabitur bonus vir, & quia mentem testatoris in meliorem partem interpretari debemus iuxta regulam, cap. cum dilecti. de donat. & quia nulla est melior, quam vt in Christi pauperes dispensentur, sic fiet: & si aliter fiat, per Episcopum reuocari poterit.

14 EXECUTOR religiosus exemptus si in exequendo deliquit, ab ordinario puniri potest in clemen. vnica. de test. quod Richard. in 4. sentent. dist. 45. a. 5. quaest. 2. limitat in religiosis, qui habent exemptionem communem, qui tamen possent conueniri ratione contractus, vel delicti, seu rei, vt in capit. 1. de priuileg. in 6. secus in alijs, qui conueniri non possunt, quia nec puniri.

15 PRÆLATVS, qui dedit licentiã religioso acceptandi executionem, potest eã reuocare, cum religiosus neque velle, neque nolle habeat, secundum glos. in dict. clemen. vnica. & executio fiet per collegam, vel per Episcopum quãdo alius deputatus non est.

16 DIATRO executionis piaz nocet defuncto: secundum Tho. quolib. 6. quaest. 8. a. 1. quia ei remedium nõ adhibetur, dum suffragia differuntur, ex quibus plurimum pauperes, & ecclesia ad orandum pro eo excitarentur, ad faciendum suffragia pro eo. Ex quo patet, quod grauiter tales peccant, & vocatur egentium negatores. 23. quomodo. 2. cap. qui oblationes. el. 1. & dicit. Ioan. de Neapolit. in quol. quod mel.

multum tardantes, siue ex auaritia, siue negligentia, mortaliter peccant: quia debent excommunicari, agunt enim & contra iustitiam, non exequentes prout debent, & contra charitatem proximi, potentes eum liberare de peccatis, & non liberantes, cum tamen teneantur. Secus quando ex causa rationabili tardant, videlicet, ut melius vendant res, & sic copiosiores elemosinas faciant, vel quando pro modico tempore tardant: quia parum, pro nihilo computatur. In his prudens executor bene examinet, ut considerata temporis dilatione, & conditione personarum, quae creditur citius vel tardius liberanda, & elemosinarum augmento, faciat quod defuncto expedire videbitur magis.

## EXEMPTIO.

**EXEMPTI** dicuntur, qui ordinarij iurisdictioni non subsumunt, ut expressè dicit gloss. in ca. quod translationem de priuileg. & hoc de communi exemptione. & per solum Papam fit exemptio, secundum gloss. in capitu. 1. de priuileg. lib. 6. quae diuersimodè fieri potest. capitul. cum capella. de priuileg. Quomodo autem fiat exemptio, vel ratione loci, vel personarum, & huiusmodi, vide Panormitanum in capit. tuarum. de priuileg. Alia est exemptio specialis, ut fratrum praedicatorum, & multorum aliorum, in quibus ordinarij nullam superioritatem habent. ut patet in priuilegio Sixti III. Regimini, & c. ubi dicitur, Et ne praetextu constitutionis Innocentii III. praedecessor. nostri. Volentes, & c. locorum diocesanorum, & alij ordinarij, in personas, & loca fratrum praedicatorum contra Gregorij praedecessor. nostri ordinationem sibi quancunq; iurisdictionem, & superioritatem vendicare praesumant, districtius inhibemus, ne quisquam absque sedis Apostolice commissione, & auctoritate, in personas, domos, & loca dicti ordinis praedicatorum, utpote prorsus exempta, aliquam excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententiam, specialiter vel generaliter, quo-

modolibet promulgare, aut in personas, domos, vel loca huiusmodi aliquam praeminentiam, superioritatem, & iurisdictionem quomodolibet exercere praesumat, etiam ratione contractus, vel delicti, seu rei, de qua contra ipsos ageretur, ubicunq; iniatum contractus, committatur delictum, & res ipsa consistat. Decernimus quoque ex nunc, quasilibet excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, & quoscunq; processus, quatuor personarum, & sententias generales, vel speciales continentes, quos, vel quas promulgari, vel haberi, & omnia quae contra fratres, domos, vel loca dicti ordinis quomodolibet fieri contigerit, etiam eorum exemptione, utpote notoria non aliter allegata, nullius roboris, vel momenti esse, & pro infectis haberi debere, & c. Unde patet, quod nec etiam legati habent superioritatem in his. Not. quod si fratres huiusmodi citentur ab ordinario, non tenentur comparere, etiam ad allegandum priuilegium suum, ut dicit Panormitan. in capitulo, cum ordinem. de rescriptis. quia iam notorie sunt exempti, & dudum tolerati in priuilegio exemptionis. Ideo citati non tenentur comparere etiam ad allegandum eorum priuilegium. & hoc not. quia multi iudices decipiuntur.

**Si** priuilegium non est notorium, & tales priuilegiati non sunt diu tolerati in tali priuilegio, si antequam ordinarius ferat sententiam excommunicationis contra eos, allegant priuilegium, quod iudici est notum, credit Rich. 4. sen. dist. 18. q. 5. a. 5. hanc sententiam non tenere. ar. in c. si duobus, in text. & in gloss. de appellat. Securius tamen esset, si non potest probate hoc iudici esse notum, comparere & ostendere priuilegium, quod si non est notum iudici, & petit sibi ostendi, tenentur secundum formam capitul. cum personarum. de priuileg. in 6. Si autem non petit, secus est: quia non tenebit sententia, si ante illam fuit allegatum priuilegium. Quod si non allegatur priuilegium, nec est notorium nequit